

h. 13. Q. D. B. V. 13.

(X 1883884)



Q. D. B. V.

Heinricum Aucupem Imperatorem

Publicè disputandum exhibet

PRÆSES

M. JOHANNES FRIDERICUS
ARTZBERGER, WESTHEMIO
FRANCUS,

RESPONDENTE

JOHANNE CONRADO ODONTIO,
SIOBACO FRANCO,

Ad d. Octobris, in Auditorio consueto.

WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXV.

36



G. D. R. N.

Heinrich August

Imperatorum

Publica Bibliotheca exhibet

PRAGAE

FRANCIS



M. J. J.

JOHANNES CAROLUS ODONTO

M. J. J. J. J.


Officina in Augustinopoli

WITTEB. G. E.

THE MATTHEW HENCKELS, Ass. Typogr.

ANNO 1844





C. D.



De variis ex Historia petitis thesi-
bus non ita pridem edisseruimus publicè, quod stu-
dium ut verè divinum perplacet, ita in illo quoq;
pergimus: incidimus in eam controversiam, quam
de Henrici Aucupis Imperatorio titulo agitare
hactenus consueverunt eruditissimi Viri: utriusq;
sententiæ inter se contendimus momenta, iisdem
pensitatis, in eam, quam præ fert titulus, descen-
dimus: Singulos ab Imperii Romani ad Germanos translatione, huiusq;
primum Carolum M. Pipini filium Imperatores, & jura Imperii Germanicè
num vindicaverint contra invasores, huiusq; dignitati nil detrahi passi sint,
evolvimus, postea ad Henrici nostri Imperatorium titulum omnibus inq;
dis tuendum, faciliorem accessum fecimus.

SECTIONIS I.

THESIS I.

TRanslationem Imperii Romani, quam non-
nulli ante Caroli M. tempora ad Germanos factam
referunt, non attendimus; (a) sed solam eam, quam Caro-
lus ipse ex Germano sanguine oriundus (b) non beneficio
Papæ; sed armis suis præcipuè, Germanorum transactioni-
bus, & populi Romani applausu (c) acquisivit.

(a) Imperatores Constantinopolitanos etiam ante Carolum
jus Occidentalis Imperii Germanis tradidisse, sunt qui non asserunt
modò; sed & defendere student, quo eò magis contra Pontificios ob-
tineant, Translationem Imperii Romani ad Germanos per Pontifi-
cem factam non esse. Prima ab hisce statuitur seculo V. quando O-
doacer genere juxta alios Thuringus, juxta alios incerta ex Germa-
niæ gente, Augustulo Imperium ademit, vel ut *Sigebertus* loquitur,
Imperium, quod Augustulus deposuit, arripuit. Titulos, quibus Odoacer

possederit, autor quidam in tractatu de translatione J. R. ad Germani:
post adducta Naucleri & Blondi testimonia recenset: Odoacrem sc.
dignitatem Imperialem jure belli, cessione Augustuli Caesaris, & deniq; to-
tius Italiae, & praesertim Romae consensu obtinuisse, ubi eum Cives Romani
summâ alacritate exceptum in Capitolium deduxerint, supremisq; hono-
ribus pro more affecerint: & paulò post Odoacri hunc Imperatoris ti-
tulum significaturus addit: Tametsi Italici Historici, quippe qui tunc
soli scripserunt, invidia quadam abrepti, Imperatorem eum vocare recu-
sarint, dubium tamen non esse, quin Romani illi tanto studio acclamantes
ipsi hunc titulum adjecerint, praesertim cum tam prompti & alacres ipsi
obviam exiverint Cives, nec alius tum innotuerit titulus, nec ipse Odoacer
victor, minori pra Augustulo salutari passus fuerit. Secunda translatio
censetur à Zenone, Imp. Constantinopolitano facta, qui Theodorico
Ostrogothorum Regi regnum Italiae donavit, quo (verba sunt Ursper-
gensis) cum Gothis Romano praesideret Imperio; confer praeter Abbatem
Urspergensis, Olavum quoque Upsalensem Episcopum in Historia sua Go-
thica: Platina ita scribit: Eadem quoq; fortuna Theodoricus contra O-
doacrem saepius usus, hominem triennio Ravennae obsessum eò perpulit, ut
hortante etiam Johanne Episcopo se Imperii socium acciperet. Verum se-
quenti die cum filio interficitur, unde statim nemine adversante Theodo-
ricus totius Italiae IMPERIO potitus est. Nauclerus clarius hæc expo-
nit, quod totus Senatus Imperialis illam translationem vel donatio-
nem Occidentalis Imperii probaverit Theodorico, ideoque sacro ve-
lamine, nempe Purpura Imperatoria ab Imperatore sit ornatus. Ter-
tiam memorant laudati Scriptores, quia Anastasius Constantinopoli-
tanus Imperium Romanum contulit Clodoveo Regi Francorum, as-
seruntq; Clodoveum ob eam collationem & Augustum & Imperato-
rem esse appellatum. De hisce verò quid amplius sentiendum sit, in
ipso conflictu datâ occasione eloquar, jam enim brevitatis causâ præ-
termitto. (β) Carolum M. Germanum omnes Germanici Scripto-
res ferunt, de Patriâ saltem disidentes: Invaluerat ante opinio, quam
Freherus popularem dicit, statuens Caroli M. locum natalem Ingel-
heimi esse, & hæc ita insidet incolarum loci animis, ut vix ullus sit,
qui non unî ex filiis Caroli nomen in sacro fonte ex reverentia ergà
Carolum Imperatorem indere soleat, teste Frehero in Origin. Palat.
part. 2. p. 50. Aliqui Carlsburgo eum honorem vendicant, adstruente
non

non segniter famam rei *Aventino* l. 4. Seqq. temporibus alii de eâ traditione dubitare cœperunt, sine dubio attendentes illud *Eginhardi* testimonium in vitâ *Caroli M. De nativitate Caroli atq; infantia, vel etiam pueritia, neq; scriptis usq;am aliquid declaratum esse, neq; quendam qui scripsit, inveniri, qui eorum se dicat habere notitiam: vid. Freher. l. c. Serar. l. 3. rer. Mog. notat. 37. Hodiè plurimi eruditorum *Reinesii* sententiam sequuntur, quam l. 2. var. lect. c. 16. exponit, *Fuldæ* primùm lucem vidisse. (γ) Varii sunt tituli, quibus rerum dominia acquiruntur: vel enim armis occupantur ac vindicantur deserta, vel donatione acquiruntur, quorsum refero, quæ testamentariâ donatione Romani acceperunt, cum per *Attali* testamentum populus Romanus hæres institutus est. *Justin.* l. 36. c. 4. ne alia afferam exempla: vel spontaneâ submissione, cessione ac transactione subjiciuntur provinciæ. *Carolum M.* quod attinet. n. armis acquisivit, & à Græcis Imperatoribus quasi desertum Imperium Occidentis vindicavit. Res ita se habet: Cum *Longobardi* suis non contenti provinciis in Italia, *Exarchatus* quoque regiones, ipsamq; *Romam* occupare vellent, potissimum *Aristulphus* & *Luitprandus*, & verò inter Romanum Pontificem Orientisq; Imperatores de cultu Imaginum tum ferveret controversia, Romanus Pontifex opem Regis *Galliæ Pipini* imploravit, posthabitis hæc ratione Imperatoribus *Constantinopolitanis*: *Carolus* venit in *Italiam*, & ab *Aristulphi* furore *Romam* liberavit: quâ de re *Æmilius Hist. Franc.* l. 13. sed quia teste *Sigonio* l. 8. de regno *Italiæ*, novis rebus student Itali, ita mox *Desiderius Longobardorum* Rex ultimus, *Italiam* ipsamq; *Romam* invasit. Tum præerat Pontificiæ dignitati *Hadrianus*, qui exemplo patris *Pipini Carolum M.* successorem quoque excitaverat, ut in auxilium veniret, hostemq; publicum *Desiderium* fugaret: voto eventus respondit, adeò, ut capto *Desiderio* totum regnum *Longobardorum* in Italia destructum fuerit: & sic jure belli Imperium obtinuit *Carolus*: hinc *Sigonius* librum 4. his auspiciatur verbis: victo captoq; Rege *Desiderio*, & *Longobardis omnibus infidem ac deditonem acceptis, Carolus regnum Italicum sibi jure victoria vendicavit.* Et post impetratam victoriam devictosq; hostes, provincias Imperii & *Italiæ Caroli* fuisse, vel ipse Pontifex fassus est, dum apud *Pipinum* primùm, deinde *Carolum* institit, ne Imperatoribus Græcis provincias restituerent, sed donarent *Ecclie & Petro.**

Vid. Sigon. l. 3. tum hodiè prudentiores Pontificiorum, spretâ Constantini donatione, à Caroli liberalitate juris in provincias Romanas originem petunt. 2. accessit applausus populi & acclamatio, qua salutarunt exceperuntq; Carolum Imperatorem: de quo *annales Francici & Sigebertus*, cujus hæc sunt verba: *Romani, qui ab Imperatore Constantinopolitano jamdiu animo desciverant, nunc acceptâ occasionis opportunitate, uno omnium consensu, Carolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumq; per manum Leonis Pape coronant, Cesarem & Augustum appellant.* Sic *Annales Adelmi Benedictini*: *Karolus autem cum die sacratissima Natalis Domini ad Missarum solennia audienda, Basilicam Beati Petri Apostoli fuisset ingressus, & coram altari, ubi ad orationem se inclinaverat, assisteret, Leo Papa coronam capti ejus imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante KAROLO AUGUSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORUM VITA ET VICTORIA: post quas laudes à Pontifice more antiquorum Principum adoratus est, ac deinde omisso Patricii nomine Imperator & Augustus appellatus.* Monachus Egoismensis adjicit. *Anteà enim Dominus Carolus vocabatur ab omnibus Rex Francorum & Patricius Romanorum.* Dicas, quomodo Populus Romanus Carolum Imperatorem salutare potuit, si ipse Imperatoribus Græcis subditus, nec sui juris fuit? Nonnulli, qui transactionem cum Imperatoribus Græcis ante coronationem ponunt, respondent, consentientibus Græcis in Imperium Caroli, integrum fuisse, Romanos Carolum Imperatorem dicere; sed si hæc responsione uti tutum non erit, dicendum: quod Græci Italiam, urbemq; Romam deseruerint, imò viribus eorum penè exhaustis, Romanis à Longobardorum Rege oppressis, succurrere haud potuerint, unde necessitatis telo adacti, de alio subsidio sibi prospexerunt. (3) Confirmarunt magisq; asseruerunt Carolo Imperium transactiones cum Imperatoribus Græcis, quarum tres recensentur, cum Irene, Nicephoro & Michaele, quoniam verò nimis prolixum foret, in hasce altius inquirere, hinc sufficiat eas allegasse. vid. *annal. Franc. Sigonius & alii.* Ex hisce intereà liquet, stultè adscribi translationem Imperii Romani in Germanos Pontifici Romano, & quia hoc argumentum non unus scriptorum explicavit, nihil addo præter Friderici I. Imperatoris ad Romanorum Legatos verba, apud *Frising. l. 2. c. 21. Revolvamus modernorum Imperatorum gesta,*
si non

si non divi nostri Principes Carolus & Otto, nullius beneficio traditam, sed virtute expugnatam, Græcis s. Longobardis urbem cum Italia eripuerint, Francorumq; apposuerint terminis. Non tamen illis accedo, qui Pontifici in exceptione & coronatione Caroli nullas præter Instrumenti partes tribuunt: Habendus certè pro præcipuo Romanæ urbis Cive est, cujus consensus non secus atque reliquorum Civium requirebatur: conferri possunt, plura qui desiderat, autores, qui de translatione Imperii pro Imperatore adversus Papam ex professo scripserunt. Citarem eos, nisi pagellarum paucitas obstaret, quos tamen longo ordine recensitos vide apud *Autorem tractatus de transl. J. R. ad Germ. Maximil. II. superiori seculo oblatis. conf. Bæcl. in Carol. M. l. de Cas. G. ubi Grotium quoque refutat.*

THESIS II.

Consecutus Imperium, provincias & Augusti titulum Carolus, penitus ea omnia in potestatem suam accepit, ut sine auctoritate Pontificis, & consensu Civium Rom., ac statuum Italiæ de eo disponere & ipse & successores possent.

Nimium tribuit Pontifici & populo Romano post hæc tempora *Grotius*, & eum secutus *Rupertus in observation. ad Besoldi Synops. c. 17.* Omni exceptione majus est iudicium *Conringii de Germanorum Romano Imp. c. 7.* *Omnia vero hæc potestas in Papam, Romam, & patrimonium Petri videtur ad Carolum & successores pertinuisse jure hereditario, nec ullo modo à Pontificum aut populi Romani consensu amplius suspensa, postquam in Carolum Imperatoria potestas est translata. Tali sc. modo Cæsares Constantinopolitani Romana illa tenuerunt: in eorum vero jura successit Carolus.* Prudenter sanè statuit *Conringius*, eo modo ac jure accepisse hæc omnia Carolum, quo Græci Imperatores habuerunt, id quod transactiones cum Græcis sentire jubent. Nos in subsequentium historiam convertimus animum oculosque: Carolus, cum ad senium vergeret ætas, testamento disposuit, quas provincias quisque filiorum post fata regeret, meminerunt hujus testamenti *Annales Francici, Regino, autor vite Caroli M. apud Pithæum*, aliiqve, at quæ singulis cesserint provinciæ, non indicant, nisi quod ex gestis Ludovici apud *Theganum* quædam commemorantur: legitur quidem ea partitio in testamento Caroli M. à *Pithæo* edita; verum quid de

de hoc scripto habendum, malo verbis *Pithæi* quàm meis ostendere. *Partitio illa regnorum Caroli M. Imp. quæ licet dubie sit fidei, ut meritò numerari possit inter tot singularis otii commenta, quæ sequiora nobis secula ingeniaq; pepererunt, tamen in chartaceo exemplari, Thegani verè Francici hominis operi recentiore manu subjuncta fuit &c.* A Pontifice Romano Leone id testamentum & probatum & subsignatum esse, referunt & *Annales & auctor vite Caroli M.* credo verò id honoris potiùs causa, quàm ex necessitate esse factum, cum primis, quia postmodum defunctis Pipino & Carolo Ludovicum socium Imperii fecit, & ut *auctor vite Caroli M.* loquitur, *coronam imposuit, & Imperialis sibi nominis consortem fecit,* quâ formula & *Adelmi Annales* utuntur: Nihil enim hîc de suffragio & consensu Papæ populivæ Romani memorant Scriptores, sine quo certè non potuisset Carolus Imperatorem dicere filium, si quid Populo Romano & Pontifici circa electionem juris remansisset. Memorabile verò est, quod modò statuum regni sui sententias in hoc negotio rogarit: ita *Theganus de gestis Ludovici Imp. apud Pithæum* ait: *interrogans omnes à maximo ad minimum, si eis placuisset, ut nomen suum, id est Imperatoris filio suo Ludovico tradidisset, illi omnes responderunt, Dei esse admonitionem illius rei:* Quid quod Proceres Imperii post obitum Caroli M., Ludovicum secundò Imperatorem declarantes, non adhibuerint Pontificem? vid. *vitam Ludovici Pii.* Coronatus postea quidem à Pontifice est, sed dudum ante Imperatoris nomen, atque in Romanos Imperium usurpaverat, neque coronatio Romæ facta est. vid. *vit. Ludovici Pii:* Ex quibus omnibus constat, partim hæreditario jure, partim consensu statuum Regni Francici, nec autoritate Pontificis ejusq; inauguratione habuisse Ludovicum, quod Imperator Romanus audiret. Pariter cùm Ludovicus ille Pius divideret inter filios regna, Lotharium primogenitum, non consulto Pontifice, nec adhibito populo Romano in suffragium, Imperatorem dixit: Ita *Annales Francici Pithæi* loquuntur: *Ludovicus Imperator filium suum Primogenitum HLudharium coronavit, & nominis atq; Imperii sui sibi socium constituit:* Idem & reliqui Scriptores non facta Pontificis mentione testantur. Lotharius successorem sibi destinavit filium Ludovicum, qui secundus dictus, non impetrato assensu vel Pontificis vel populi Romani.

Regi-

Regino sic describit : Lotharius convocatis primoribus Regni Imperium filiis suis divisit , Ludovico Italiam tradidit , eumq; Imperatorem appellari fecit : Ludovicus sine liberis discedens , defunctis fratribus , voluit sine consilio Pontificis sibi succedere Carolomannum fratris Ludovici filium , imò repugnante Pontifice , & & propendente in Carolum Calvum Galliarum Regem , constituit nihilominus hunc Carolomannum sibi successorem , quam successionem etiam hæres vindicavit : cujus rei testes sunt auctor appendicis ad Eutropium , Annales Fuldenses , & Regino , quorum testimonio non modò constat , Carolum Calvum prælia cum Carolomanno , axioma Imperatorium vindicaturò , fugâ declinasse , verùm etiam Carolomannum fidelitatis sacramentum à Romanorum Optimatibus accepisse : Carolomanno defuncto , junior frater Carolus Crassus jure hæreditario prætendit & accepit Imperium. Regino ad ann. 881 : Carolus de Alemannia egressus Longobardorum fines occupavit , ac in paucis diebus totam Italiam in ditionem accepit , & Romam perveniens à Præside Apostolicæ sedis Joanne & Senatu Romanorum favorabiliter exceptus cum magnâ gloriâ Imperator creatus est. Tum verò pœnitere cœpit Romanos , quod Imperatoriam dignitatem non Italis ; sed Germanis & alienis tuendam dedissent , decreveruntq; , ut moriente Rege Crasso sine filiis , regnum Italicis principibus unâ cum titulo Imperii traderetur : vid. Sigon. l. 5. de R. J. de alieno liberales , inepti statuerunt de eo , quod in potestate eorum minimè erat. Et hoc displicuisse fatiis , vel inde colligitur , quod mox disidiis intestinis turbata sunt omnia , ut necessum esset confugere ad legitimum Dominum Arnulphum , ejusq; implorare patrociniûm. Expetiit hoc primum Berengarius contra Widonem Spoletanum , deinde Formosus Papa adversus Romanos , venit etiam in subsidium Arnulphus , expugnatâ Româ , & subactâ Longobardiâ , vindicavit Dominiû jura , & Imperatoris sumisit titulum. vid. Sigebertus , & Regino in Chron. cujus hæc sunt verba ad ann. 888. Post Caroli Crassi mortem regna , quæ ejus ditioni paruerant , veluti legitimo destituta herede in partes à suâ compage resolvuntur , & jam non naturalem Dominum præstolantur , sed unumquodque de suis visceribus

bus regem sibi creari disponit &c. De Ludovico Arnulphi filio
 ut dicamus, non est, obstabant intestina disidia, certamina &
 Ungarorum maximè, per omnem ferè Germaniam, ipsamqve
 Italiam patentia latrocinia, quo minus jus suum pariter &
 Germanorum vindicaret in Italia. Neque Ludovico in Ado-
 lescentia defuncto licuit, quod habuit juris in Italiam, exse-
 qui: Obiter hinc notamus *Letum in compendio Historia univers.*
 qui Italis privilegia confirmasse Ludovicum refert: confundit
 sanè Ludovicum Arnulphi cum Ludovico Bolonis: *Sigonius,*
 (quem *Letus* citat) quod Ludovicus Arnulphi nihil rei cum Ita-
 liae regno habuerit, commemorat, quod de facto non de jure
 interpretamur. *Bæclerus de German. Caesaribus p. 215.* quæ jura
 Ludovico fuerint occupandi Imperium Rom., sequentibus ex-
 ponit: *Non parum aliàs valuisset, jusjurandum populi Romani,*
quo Arnulpho fidem, neque se Lambertum Romæ regnare passuros,
juraverunt: Justissima inde Ludovico Arnulphi filio causa fuisset
vindicandæ perfidiæ, tum in populum, tum in Pontificem perjuri
Magistrum & auctorem, si tali negotio vires temporaq; non defu-
issent. Inter quæ tam confusa nullam auctoritatem meretur, qui ab-
ruptè & confidenter pronuntiat: Historiam verò integram juris-
jurandi & subsequenti perfidiæ descripsit Sigonius l. 6. de regno Ita-
liae: contra illos, qui ex numero Imperatorum hunc Ludovicum ex-
pungunt, paulò post addit: Igitur Ottho Frisensis l. 6. nominat alios
qui ultro concedunt, in quibus etiam Onuphrius est.

THESIS III.

Hæc Imperatoria dignitas & Imperium Romanum
 non solum in Carolum M. ejusqve posteros, verum
 etiam ad gentem (α) cui imperabant, primùm Fran-
 cos (β) deinde solos Germanos ante Henricum trans-
 latum est.

(α) Imperium Romanum non in solum Carolum ejusqve
 posteros transisse, vel inde constat, quod Fridericus I. provoca-
 verit ad quæsitum à Carolo M. jus. *vid. l. 2. de gestis Frider. l. c. 21.*
Frisin-

Frisingensis, ne brevitatis causa de aliis momentis nunc dicam. Neque erravero, si statuum, hoc impetratum esse Francis jus, ut non Francis modò Regem, sed etiam Romanis Imperatorem constituerent. (β) dicit Fridericus I. Francorum apposuisse *Regno Imperium*: Francorum regnum tum temporis ante divisionem & Galliam Gallosque & Germaniam comprehendebat, à victoribus nomen trahens: indeque videntur, qui tum & Gallis & Romanis conjunctim asserunt Imperium, haud absurdè concludere. (γ) Postea tamen ad solos Germanos Imperium hoc transit post Germanorum à Galliæ regno separationem, de qua *Regino Abbas Prumiensis* doctissimus simul & nobilissimus Germaniæ chronographus, (quo elogio ipsum ornat *Conringius in l. de finib. Imp. c. 3. p. 10.*) *Marianus Scotus*, *Sigebertus* & alii scripserunt. Scilicet visum fuit Franciæ regibus Imperium natu majori dare. Hoc titulo obtinuit præ fratribus Lothario, ita accepit Lotharii primogenitus Ludovicus, & hic post defunctos fratres sine liberis decedens, eodem titulo destinavit imperium, Ludovico patruo Germaniæ Regi vel potius Carolomanno, cujus filius m. Carolomannus natu maximus vindicavit fugato invasore. Carolus Crassus deniq; & Arnulphus id Germanis stabiliverunt adeo, ut dicendum merito sit, tantum Germanorum in arbitrio, ut olim in Græcorum fuisse, minimè vero Romanorum Lombardis Regem, Romæ Imperatorem constituere: qua de causa optimè judicasse sentio, de quibus ipse *Frisingensis l. 6. c. 13. Chron: Alii Arnulphum in Catalogo (Imperatorum Romanorum) ponunt, & eos, qui post ipsum usq; ad Ottonem confusè regnaverant, non Imperatores & Augustos, sed invasores & angustos appellare consueverunt.*

SECTIONIS II.

THESIS I.

Ludovico è vivis exempto Conradus Francorum Dux
(α) consilio Ottonis (β) à proceribus Germaniæ
B 2 præfe-

præfectus, disfidii internis distentus (γ) in Italia Res Germaniæ adversus inuafores tueri minimè potuit, de animo tamen non de relinqvendi ex Ekkehardo juniore satis constare (δ) videtur.

Quamprimum Ludovicus vita concesserat, Conrado fasces Imperii tractandæ offeruntur. (α) De genere disident Autores, modo Francorum Comes & Thuriugiæ Dux, modò ab aliis Francorum Dux appellatur. Frisingens. l. 16. alia tradit: *Hunc quidam Ludovici fratris filium fuisse dicunt, & ob hoc novissimum eum Carolorum ponunt: Et Hermannus Contractus: in hoc defecit progenies Caroli:* (β) consilio vero Ottonis esse constitutum, confirmat Witichindus: *Regi autem Luthovvico non erat filius, omnisq; populus, Francorum atq; Saxonum querebat Ottoni diadema imponere regni. Ipse vero quasi jam gravior recusabat imperii onus, possem addere, quod procul dubio sine magno motu ad novam familiam jus regni vix transitorium credebatur: ejus tamen consultu Cunradus quondam Dux Francorum ungitur in Regem.* (γ) Tum florebant magni spiritus principes, qui Conrado delatum in omnia regimen, animo parum æquo ferebant. Gisbertus in iis fuit Dux Lotharingorum, sic Arnulphus Baviariæ Dux, valde laudatus *Aventino* (ut loquitur *Bæclerus l. de Germ. Caf.*) quem *Brunnerus l. 7. de virt. & fort. Bojor.* refert, Caroli M. stirpi quocunq; modo fuisse annexum. Imo Erchangerus & Bertholdus fratres Camerae nuncii rebellarunt, sumpto principis nomine sine auspiciis:

[quoniam Camerae Nuncii dicti sint, explicari potest ex Ekkehardo juniore, c. 1. l. de casibus Monasterii S. Gall. Nondum adhuc illo tempore Suevia in Ducatum erat reducta, sed fisco regio peculiariter parebat, sicut hodie & Francia, procurabant ambas Camerae, quos sic vocabant nuntii: hinc Bæclerus hoc Camerae nuncios egregiè fisci Imperialis procuratores interpretatur:

Hisce

Hisce vero omnibus Giselberto, Arnulpho, Erchangelo & Bertholdo rebellandi prætextum fuisse, *Aventinus ait l. 4.* quod Carolus Simplicem, veluti justum Imperii hæredem ex Galliis & occidentali Francia accersendum putarent: De Henrici v. Saxonis discordiis cum Imperatore vid: *Ditmarus & Witechindus.* Hisce intestinis turbis, quæ in arma erumpebant postea, accesserat Hungarorum sævitia, *qua totam Alemanniam, verba sunt Continuatoris Reginonis, igne & gladio vastaverunt, sed Saxoniam & Thuringiam pervaserunt, & usq; ad Fuldam Monasterium pervenerunt anno 916.* Quibus sanè malis concurrentibus, consilium vindicandæ Italiæ, & asserendæ in ea dignitatis Cæsareæ, necesse fuit interverti: (δ) Non dimissam tamen fuisse curam vindicandi Juris ex Ekkehardo juniore de casibus Monast. S. Gallic. i. discimus, qui Hattonem Archiepiscopum Moguntinum cor regis hic nominatus est, in Italiam per hæc tempora ivisse, *exacturum jus regium, & ab Italia ditissimum rediisse,* auctor est. Hinc de jure ipso nil decessisse, non abs re disputat *Nauclerus generat. 31.* in rebus Conradi. Etiam *Ditmarus* hunc Imperatorem nominavit *lib. 1. Chronici.*

THESIS II.

Conradus paucorum annorum cum Imperator fuisset (α) ad Saxones devoluta est Imperii dignitas, primusque ex iis Henricus i. (aliàs auceps dictus) ex stirpe Wittekindi M. natus, patre Ottone Saxonix duce, matre vero Luitgardia Imperatoris Arnulphi filia, variisque in Adolescentia abundans animi corporisve dotibus, (β) suavisu Conradi (γ) à proceribus Imperii Imperatorio munere admotus est (δ) Princeps sanè singulari fato Imperio donatus, variis & laudabiliter institutis (ε) aliisque innumeris præclarè meritis in Imperium valde illustri extitit.

Incongruum foret silentio præterire vitam Henrici. Quoniam vero præcipuum disputationis nostræ scopum non ferit, maximiq; tamen momenti argumentum præbeat, quam hisce pagellis capi possit, ideo brevissimis, in quantum possumus, potiora delineabimus. (a) De annis Conradi non conveniunt scriptores, aliter *Marianus Scotus*, aliter exponit *Onuphrius Panv.* numerum. Quicquid sit, novimus tamen, non diu imperasse. (β) De Stemmate *Vittikindæo*, liberis & uxoribus, in medium nil affero; hæc de re ex professo Historicus Genealogicus maximè industrius *Elias Reusnerus* egit. De familiæ Saxonice splendore summo testimonium præbuit *Johannes Nauclerus*, Academiae Tubigenis olim Cancellarij, qui generat: 31. scribit: *Saxonum præcipua est in Germania nobilitas: Et quod attinet Henricum in hoc laudando magnus animadvertitur scriptorum consensus. Quoad dotes corporis, quæ solent majorem conciliare autoritatem, proceritatem venustam in ipso commendat Witichindus: l. 1. accessit & moles corporis, regie dignitati omnem addens decorem. Similia habet Albertus Stadenfis: ingenti prudentia pollens forma quodq; corporis regie dignitati decorem adjiciebat. Nec deerant virtutes animi: De affabilitate ejus verba Witichindi iterùm sunt. l. 1. licet in convivis satis esset jucundus, tamen nihil regalis disciplinae imminuebat, tantum enim favorem pariter & timorem militibus infundebat, ut etiam ludenti non crederent, ad aliquam lasciviam se dissolvendos: eò illustrior sanè affabilitas, quò magis temperata est gravitate: de liberalitate v. p. 14. Rex talis erat qui nihil negaret amicis, vid. *Cranzius 3. Sax. c. II. p. 70.* Sic *Mutius* à pietate, militiæ peritia & disciplina hunc Henricum i. multis commendat l. 12. p. 93. & 79. Non possum non, quin adducam de Adolescentia magni hujus principis locum ex *Witichindi l. 1. p. 6.* Natus est *Ottoni Saxonie Duci filius toti mundo necessarius* (quò tendunt similia in *Thesi* verba:) *Regum optimus maximus Henricus, qui primus libera potestate regnavit in Saxonia, qui cum primâ etate, omnigenere virtutum vitam suam ornaret, de die in diem proficiebat præcellenti prudentia, & omnium bonorum actuum gloria: nam maximum ei ab adolescentia studium erat in*
glori-*

glorificando gentem suam & pacem confirmando in omni potestate
suâ: audiatur & Luitprandus Ticinensis l. 2. rerum suo tempore
per Europam gestarum: sub quo (Conrado scilicet) potentissimi
principes, Arnoldus in Bavaria, Burcardus in Svevia, Everhardus
Comes potentissimus in Francia, Gisilbertus Dux in Lotharingia e-
rant, quos inter Henricus Saxonum & Thuringorum Dux præpotens
clarebat: Witichindus l. 1. vocat regum Europæ maximum, regum o-
ptimum maximum, omni virtute animi corporisq; nulli secundum:
(γ) Hæc undiq; fulgens laude maxumus Princeps, suæ ad Im-
peratoriam dignitatem electioni, accedente potissimum Conra-
di jam morituri suasu, non minimum attulit adjumentum. Ita
Continuator Reginonis Anno 919. Conradus Rex obiit, Vir per o-
mnia mansuetus, prudens, & divina religionis amator, qui cum obire
sui diem imminere sentiret, vocatis ad se fratribus & cognatis suis,
Majoribus scilicet Francorum, mortem sibi imminere prædixit, &
ne in eligendo post se disfidium regni fieret, paterna eos voce præmo-
nuit; sed & Henricum Saxonum Ducem, filium Ottonis, virum stre-
nuum & industrium, præcipuumq; pacis sectatorem, ut eligerent jus-
sit, aliumq; ei ad hoc officium æq; condignum inveniri non posse testi-
ficans, sceptrum ei & coronam, cæteraq; regia dignitatis ornamenta,
pactis tuendi & conservandi regni per eos transmisit: apud Luit-
prandum l. 2. Conradus ita successorem commendat: Henricum
Saxonum & Thuringorum Ducem prudentissimum regem eligite,
dominum constituite. Is enim est & scientia pollens, & justæ seve-
ritatis censura abundans. Imò teste Ekkehardo de cas. mon. S. G.
ad fratrem Eberhardum ita loquitur Conradus: Est in Saxonia,
cui neminem in regno æquiparem scio, Henricus quippe Comes (ita &
Hermannus Contractus vocat) Mathilda conjugæ clarus. (γ) Hein-
ricus igitur Conradi ope successor nominatus, consensu proce-
rum quoq; comprobatus est, hinc & insignia ad illum mitte-
bantur, quorum Luitprandus l. 2. c. 7. plenius v. Witichindus l. 1.
annal. commemorat. Ex hac insignium transmissorum oeca-
sione nomen aucupis ipsi hæsisse, Siffridus Præbyter hisce verbis
annotat: Iste dicebatur aucups, quia dum caperet aviculas, renitens
electus est. ita & Nauclerus generat. 31. alii vero tradunt, aucupem
dictum,

dictum, quod in Adolescentia, cum pater Rebus præesset, plurimum indulgeret Aucupis: Sufficit nobis ab aucupio hoc cognomē traxisse Henricum. Nummos tum temporis cufos effigiem Henrici manu dextra avem tenentis in aucupii memoriam retulisse, prodit *G. Fabricius*. Sic solent principes alii equis, alii canibus, alii telorum in feras emissionē afficiuntur. Transmissis ad Henricum Imperii insignibus, secuta est designatio solennis, de qua *Witichindus l. 1. deinde congregatis principibus & natu majoribus exercitus Francorum in loco, qui dicitur Fridisleri (Fridislaria) designavit eum regem, coram omni populo Francorum atq; Saxonum*. Et quidem communi consensu facta est electio. *Regino Monachus & Abbas Prumiensis, vel is, qui eum supplevit antiquus scriptor chronici illius universalis l. 2. anno, inquit, Dominica incarnationis DCCCXX. Henricus Dux, consensu Francorum, Alemannorum, Bavarorum, Thuringorum & Saxonum Rex eligitur*. Eadem referunt *Abbas Urspergensis, & Sigebertus Chemblacensis in Chronicis conf. Crantzius lectu dignissimus l. 3. Sax. Congregati principes Francie orientalis, Thuringia & Saxonia in Frislariam, elegerunt concorditer eundem Henricum. Quamquam dispositio de regno non tam erat in arbitrio eligentium, quam in ordinatione decedentis, nam abinde Carolo M. pater filio reliquit Imperium, nisi quod aliquoties propter ignaviam succedentis, se interposuerint principes ordinationi. Tum vero etsi Conradus decessor de Henrico successuro ordinasset, ex abundanti tamen hunc fecere conventum, ut omnium voluntate regnaret. (d) Quo ad monumenta illa, primus est, qui lanceam clavis Christi ornatam, tanquam ancyle aut pignus imperii consecravit, quod hodiernum Norinbergæ ostendi vulgò creditur. vid. *Luitpr. Crantz. 3. Sax.* Primus quoque ludos equestres, qui speciem prælii repræsentarent intuentibus, & Torneamenta nationi Germaniæ commendat insigni usu, hinc primum hastiludium Magdeburgi celebratum fertur anno 935. auspicio Henrici Aucupis, quod exhibet proluxa descriptione initio *T. 2. Modius*: adde quod Marchiam Brandenburgensem & Misnensem instituerit. vid. *Crantzius 2. Wandal.* (e) Præter reportata ab Hungaris tropæa, tri-*

tributarias factas vicinas gentes *Witichindus* memorat, Abotri-
tos, Vulzos, Hevellos, Dalmancos, Bohemos, Redarios: sic non
defuerunt Civilia bella: quorum necessitudinem attulerunt, Ar-
nulpus Bavarus, & Burchardus Alemanniæ Dux cum aliis. De
Gallicis bellis non dicam, ita nec de eo, quod non semel Germa-
niæ pacem suasque provincias restituerit, quicquam commemo-
rabq. vid. *Dieterich: in Henrico I.* qui hæc accuratè ut solet, satis-
que fusè exponit.

THESIS III.

Hic ille Henricus est, quem Imperatorem rectè &
merito dici asserimus.

Assertum (I.) inde confirmamus, quod à principi-
bus Germaniæ, justè electus fuit in Regem Germaniæ,
nec tantum in Regem Germaniæ; d. e. Imperatorem Ro-
manum: quippe probatum ante est, sic translatum fuisse Im-
perium Romanum ad Germanos, ut principum Germaniæ esset
dare Imperatorem Romanis, & quem Regem fecissent suum, si-
mul esset Romanorum Imperator Neque excidisse hoc jure
Germanos, aut dereliquisse, vel ex eo colligo, quod *Witechindus*
de Henrico refert. l. 1. *Perdomitis itaque cunctis circumquaque*
gentibus, postremo Romam proficisci statuit: (sine dubio eam ob
causam, ut se Imperatorem esse ostenderet, atque contra in vaso-
res jus suum & axioma Imperatorium tueretur:) similia habet
Otto Friting: l. 6. Ludolph. de Babenb. de Jur. Reg. & Imp. Rom.
Nihil itaque causæ fuit *Sigeberto ad ann. 937.* cur id miraretur,
aut aliam causam suspicaretur, in istis: *Henricus licet in vin-*
cendis inimicis gloriosus fuerit, quia tamen pacificus erat, nullam o-
peram dedit, ut effugatis ab Italia tyrannis, qui quasi conductitiis
mercenarii, alter alteri succedentes Imperium dilaniabant, benedi-
ctionem Imperialem, (papalem sc.) accepisset: sed longè ad rem
& tempora accommodatius veriusque citatus modo Witechindus
sensit. Quibus dissidiis laboravit tum patria, paulo ante recen-
sui, his exercitus distractusque, quò minus Italiam respiceret,
præpediebatur. Et restituta patriæ tranquillitate, rebus Roma-

C

nis

nis ultrò adfuisse, uno ore loquuntur citati Scriptores. Neque hoc jus Imperatorium deperditum esse Germanis, porrò acclamatione facta à populo magis roboratur. Unde (2.) urgemus illam acclamationem militum post victoriã illustrem ab Ungaris reportatam: *Pater patriæ rerum Dominus Imperatorque ab Exercitu appellatus est*, teste *Witichindo l. i. anal.* Sunt ex dissentientibus, qui nomen Imperatoris vel de Imperatore Germanorum, vel significatu primo de summo exercitus Duce exponunt; at quotusquisque est, qui nesciat, Imperatorem non Germaniæ; d. Romani Imperii respectu dici? deinde quod secundum attinet, & ipsa formula acclamationis ostendit, vocabulum Imperatoris non accipi significatu stante Republica usitatò, conjunguntur enim *pater patriæ, rerum Dominus & Imperator*: & nullus alius significatus tum inter populos atque milites receptus erat, quam quo Dominus urbis Romæ, cæterarumque ad Imperium pertinentium provinciarum designatur, ne dicam acclamationem à militibus Germanis esse factam qui Germanicã acclamantes voce, quam Auctor procul dubio expressit, non quod erat, sed quod meruerat, edixerunt. Præcipua quæ excipere solent, sunt (α) fuisse alios eo tempore, qui in Italia Imperatoris nomen gerebant, responsum ad hoc ex *Frisingense* jam ante: nec illico amittitur jus, quod inuasor eripere satagit, etiamsi impeditus non statim vindicare possit. (β.) non fuisse inauguratum ac coronatum à Pontificibus? Resp. Superstitio seculi à coronatione vel benedictione non jus ipsum, sed appellationem suspendebat, error fuit prudentia corrigendus. Siquidem coronatio non Imperatorem facit, sed juris & Majestatis possessio: nec confert dignitatem coronatio, sed revelat & notificat. Carolomannus Italiam omnem tenuit, & urbem, exercuit ubique Imperium, ab Imperatoris titulo tamen superstitiosè abstinuit, quod à Johanne Papa non esset coronatus, quis verò sanæ mentis eum ex ordine Imperatorum eraderet, cui Ludovicus testamento destinaverat Imperium, cui & Sacramentum dixerant Optimates Romanorum: quiqve diplomatibus publicis privilegia confir-


ma-

mavit, & res Imperii constituit. Ad vivum si refecamus hanc coronationis historiam, ultrò liquet, meræ pietatis gratia illas Italicas coronationes ab Imperatoribus esse plerumque susceptas; eamq; modestiam ex religione profectam animadvertentes nonnullos Episcopos & Pontifices, in jus vertisse sibi, ut nemo postea Imperatoris titulo uteretur, nisi qui inunctionis beneficium à Pontifice postulasset: hinc mirificè ærarium & patrimonium Petri ex hac occasione auctum est, accessitq; insignis urbi dignitas: & hâc fraude ipsos Pontifices jam, ante Caroli M. tempora usos fuisse, testatur *Marsilius Patavinus*, citante *Dieterichio in Henrico Aucupe defens. pacis* 25. unde cum nolint scriptores, papis nimium addicti, Imperatoris titulo, aut Imperatorum nomine censere eos, qui corona non essent insigniti à Pontifice, Henricum I. quoq; prætermittunt, & qui nobis Henricus II. illis est I. pro viribus verò hoc impugnat *Monachus Bozaviensis Paulus Langius Chron. Citiz. Henricus*, ait, *Pater Ottonis M. quia Romæ coronatus non fuit, ab Italis non numeratur. Nostrates autem Henricum primum ponunt, quia in Germania strenuè & optimè imperavit: addit rationes alias: plures equidem venirent rejiciendi, si solum Imperii coronâ insigniti poni deberent, etiam fortissimi Cæsares s. Romanorum Reges, quod quam absurdum foret & indignum, nemo sapiens perpendere nequit. Similia nobis relinquit Cranzius 3. Sax. 12. Si ideò Imperator non est, quod à Papa consecratus non adest, quis consecravit Augustum, & omnes ab eo Augustos, usque ad D. Carolum? nisi ille, per quem Reges regnant, & potentes justa decernunt? Si non est Romanus Rex aut Imperator, quia Italiam non tenet, cedant hoc nomine Constantinopolitani, ex quibus pauci Italiam habuerunt. Cedant & nostri temporis Imperatores. Proinde non fraudemus optimos principes honore suo. Scimus, quibus artibus Pontifices ad eam se consecrationem ingesserint. Cæterum satis sua contra Pontifices jura vindicarunt subsequenter temporibus Imperatores: dixi suprâ de Friderico I. ex *Ottone Frisingensi libr. 2. c. 21.* ex quo jam alia addo: *vis cognoscere antiquam tuæ Romæ gloriam, Senatorie dignitatis gravitatem, tabernaculorum dispositionem, equestris ordinis virtutem & disciplinam, ad conflictum**

pro-


ad
Tn
1611

procedentis intemeratam ac indomitam audaciam? Nostram intue-
re Rempubicam. Penes nos cuncta haec sunt. Ad nos simul omnia haec
cum Imperio dimanarunt. Non cessit nobis nudum Imperium: virtute
suâ amictum venit, ornamenta sua secum traxit. Penes nos sunt con-
sules tui: penes nos est Senatus tuus: penes nos est miles tuus. Proce-
res Francorum ipsi te consilio regere, Equites Francorum ipsi tuam fer-
ro injuriam propellere debebunt. Ita Romanorum Legatorum ab-
surdis pariter & superbis postulatis ex improvise non improvise, ut
ait Frising. respondit Imperator. Dignissima sunt verba, ut legantur
ibi. Colophonis loco ex Decretis Comitiorum Francofordianorum de
A. MCCCXXXVIII, (quæ exhibet Goldastus in constitut. Imper. p. 331.
T. 1.) evidens huic rei inserviens adducam testimonium: au-
tor illorum est Ludovicus IV. Imp. in cujus Rescripto Apologetico
expressè legi §. 2. In primis contra nos & Imperialem auctoritatem, &
jus Imperii allegatur & objicitur, quod potestas & auctoritas Imperia-
lis est à Papa; & quod electus in Regem Romanorum ex sola electione
non est, nec dici potest verus Imperator, nec habet potestatem, jurisdi-
ctionem, & auctoritatem, antequam inungatur, consecretur & coro-
netur à Papa, qui (ut dicunt) tam intemporalibus quàm in spirituali-
bus, habet plenitudinem potestatis. Ad quæ respondemus, hanc opi-
nionem sacris Canonibus ac juri & rationi pariter obviare, sicut ex-
pressè patet in Decretis &c. & paulò post: Glossa super verbo Im-
peratorem dicit sic: Ex sola enim electione principum dico eum verum
Imperatorem antequam à Papa confirmetur. vide pluribus ibidem.
In T. 3. p. 409. Ludovici IV. Bavari Imperatoris Augusti ordinumq;
Imperii totum conspicitur decretum de Imperatoria Majestate, &
quod sit Imperator, qui ab Electoribus eligitur, etiamsi à Papa non
sit unctus, consecratus & coronatus. Plura non accumulo, miros
saltem illorum audaciam, qui ob coronationis defectum,
Henricum Aucupem è numero Imperatorum
excludere laborant.



AC

1077



KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

